



UDC 811.14+81'27

## De recentioris aetatis epigrammate Coi asservato\*

Gonzalo Jerez Sánchez

Universidad Complutense de Madrid, Ciudad Universitaria,  
Pl. Menéndez Pelayo, Madrid, 28040, España; gonzalojerez@ucm.es

**For citation:** Jerez Sanchez G. De recentioris aetatis epigrammate Coi asservato. *Philologia Classica* 2022, 17 (2), 291–299. <https://doi.org/10.21638/spbu20.2022.209>

The article examines an unpublished inscription conserved in the Nerantzia Castle of Kos (Greece). It consists of four elegiac couplets that Coan scholar Stamatis K. Pantelidis (Παντελίδης) composed some time before 1879. It was supposed to be located in the facade of the school founded the year indicated in the inscription. Seemingly, after the earthquake which devastated Kos in the year 1933, it was relocated in the warehouse of the Nerantzia Castle in northern Kos along with many other inscriptions. On the one hand, it provides the possibility of knowing how stonemasons work, to what extent Greeks knew their very own language in its ancient form and the way they dealt when it came to use (then and now) unusual forms of the language. On the other hand, the inscription is relevant to the cultural history of Greece in the last years of Ottoman rule and in the years after it, as Kos was part of the Ottoman Empire until 1912, date in which it passed under Italian rule until 1947, when the isle was incorporated into the Hellenic Republic. Therefore the purpose is to clarify the historical and real circumstances of the inscription, as well as to analyze the compositional process of this dedicatory epigram from the metrical point of view (it contains many deviations from the classical precepts), style and classical tradition. The inscription has not been previously studied due to its peculiar characteristics. Indeed, it is an epigram written in modern times but in an archaizing Greek (i. e. roughly respecting the rules of classical grammar), so it is not studied by neohellenists given the ancient character of its language, nor by classicists because it was composed in recent times.

**Keywords:** Greek epigraphy, Modern Greek history, Greek language history, Greek language question.

---

\* Gratias plurimas cum PHILOLOGIAE CLASSICAE anonymo lectori utrique, quod hanc symbolam attente recensuit, tum profestrici ELENAE ZHELTOVAE, quippe quae humane diligenter summoque cum studio rem edendam curavit, ago.

## 1. Praefatio

Artem epigraphicam tractantibus ante oculos antiquae sane aetatis monumenta tantum<sup>1</sup> obversantur, quoniam studio digna ea quae vel ad seram usque Antiquitatem<sup>2</sup> pertinent habentur. Eodem enim modo tituli Byzantini qui dicuntur solummodo nuperrime, ut eos deceat,<sup>3</sup> tractati sunt.

Item nostrae vel paulo recentioris aetatis cum Latine tum Graece exaratis titulis ob id ipsum et quod venerandae Antiquitatis splendore careant et quod locum cottidianum in hominum societate teneant perexiguus est numerus doctorum virorum feminarumve qui operam dent. Attamen, hac potissimum de causa aliquid momenti nobis in arte epigraphica colenda conferre possunt, cum liceat eo modo clarius nitidius distinctiusque perspicere quomodo lapidiae opus suum exercuerint.

Titulus quem tractandum suscepimus haud secus sese habet. Is enim post officinam castrorum nomine Νεραντζιά in insula Co asservatur. Quo melius intellegatur quemadmodum in eum necopinatum locum pervenerit, necessarium paucis de hac nobili insula edisserere ducimus.

### 1.1. Insula Cos

Insula Cos sita est quinque millia passuum ab Asiae Minoris litore. Antiquitus haec regio Hexapolis et paulo post Pentapolis Dorica sive ἡ Ἀσία Δωρίς<sup>4</sup> nuncupabatur. Nunc autem, post Italorum Dominatum (1912–1947), Dodecanesus appellatur. Praeterea multis terrae motibus insignis,<sup>5</sup> quorum maximus<sup>6</sup> anno 1933<sup>ο</sup> evenit, habetur. Eo enim terrae motu puellarum ludus litterarius collapsus est, quem Ἀντώνιος Γ. Παντέλογλου<sup>7</sup> aedificandum exornandum subveniendumque curavit. In eius vero introitu titulus iamnunc tractandus olim reperiebatur.

### 1.2. Ἀντώνιος Γ. Παντέλογλου

In eo titulo plane nomen cuiusdam viri appareat. Ἀντωνάκης (i.e. Ἀντώνιος) Γεωργίου Παντέλογλου ille locum maximum in Coorum societate medio saeculo XIX tenuit, quippe qui inter annos 1843<sup>um</sup> et 1854<sup>um</sup><sup>8</sup> δημογέρων<sup>9</sup> creatus esset. Etiamnunc eius nomen videre in aliis Coicis monumentis licet, quae docent quam multum de suo is populo faverit. Etenim, illum munienda curavisse satis constat aedicia haec: primum, anno 1872<sup>ο</sup> puellarum ludus sive Παρθεναγωγεῖον, cuius quidem mentio in inscriptione nostra

<sup>1</sup> Paucis exceptis, de quibus, ex. gr., vide García Jurado 2013 et 2014.

<sup>2</sup> Klaffenbach 1957, 12–20.

<sup>3</sup> Rhoby 2015.

<sup>4</sup> Sherwin-White 1978, 30. Ceterum, titulorum antiquorum editione Berolinensi feliciter finita res Coas antiquas melius quam umquam antea tractare licet, cf. Hallof, Rigbsy, Bosnakis 2010 et Hallof, Bosnakis 2012, 2016 et 2018.

<sup>5</sup> Παράσχη 2007, 5–7.

<sup>6</sup> Vide Χατζηβασιλείου 1990, 532–547.

<sup>7</sup> Nota accentus in recentioribus nominibus non eandem rationem sequi atque in sermone antiquo: hac de causa invenies, ex. gr. Παντέλογλου neque Παντελόγλου et talia sic scripta.

<sup>8</sup> Vide Χατζηβασιλείου 1990, 315.

<sup>9</sup> Graece potius vox Turcica κοτζάμπασης (Turcice hocabaşı) cottidie adhibebatur, quae magis in malam quam in bonam partem accipiebatur.

fit, secundum, anno 1879<sup>o</sup> valetudinarium quod Παντελόγλειον Νοσοκομεῖον appellabatur, in cuius ingressu etiam titulus positus erat, de quo vide inferius, postremum, puerorum ludus sive Ἀργύρειον Νηπιαγωγεῖον.

## 2. Tituli textus et versio Latina

Nonnullis rebus Cois cum geographicis tum historicis rite cognitis, tempus est iam accedere ad ipsum titulum nostrum (Fig. 1).




Fig. 1. *Imago propria ope descripta*

Inscriptio in castris Νεραντζά apud urbem Coum asservata adhuc cum colorem pristinum tum litteras summa ope (si cum aliis eiusdem lapicidae comparentur) incisas servat. Ex quattuor distichis (de quibus vide inferius) sermone antiquiore linguam imitante additisque nonnullis Doricis formis (utputa μνάμαν, ψυχάν)<sup>10</sup> constat. Litteratura vero huiusce lapicidae admodum propria videtur, nam, etsi antiquiores litterarum formas imitari potuisse, tamen vel nequivit vel noluit. Hac enim potissimum de causa litteras haud iniuria litteras sui generis appellare possimus. En habes textum cui versio Latina<sup>11</sup> accedit:

- 1    Τόνδε δόμον Μουσάων ιδρύσατο ἀγλαότευκτον  
      Αντωνάκης Γεωργιοῦ<sup>12</sup> Παντέλογλου ἐπίκλην  
      ὅσια πολλὰ ρέξας καὶ πρὶν πόληι Κώων,  
      ές μνάμαν θυγατρὸς φίλης Μαρίας
- 5    ἀσβέστοιο πόθοιο παρήγορον, τὸν λίπε πότμος  
      κούρης παρθένου ἀργαλέη νούσῳ.  
      Τούνεκεν ὑψιμέδοντα λίτεσθ', ἀγναὶ παρθένοι,  
      ές μακάρων τάξαι ιδρυτάων ψυχάν.
- 1    Condidit hancce domum Musarum lumine plenam  
      Georgi Antonius is natus Pantoglu.  
      Multa patravit sancta etiam Coensium in urbem  
      natae dilectae namque memor Mariae.
- 5    Solandum ob studium insatiabile liquit eum mors  
      virginis ingenuae praeque dolore gravi.  
      Inde deum iuvenes adeoque precamini alumnae  
      contentum adsit uti ad felicum animam.

<sup>10</sup> Vide infra.

<sup>11</sup> Cave ut in titulo Coo ipso, ita consulto regulas metricas Latinas haud ad unguem in metrice vertendo observari.

<sup>12</sup> Quoniam forma vulgaris Ἀντωνάκης adhibetur, noli mirari Γεωργιοῦ bisyllabice (id est [jor,jú]) per synizesim prolatum.

Quamquam omnes litterae liquent, difficultates tamen nonnullae oriuntur, quas in sequentibus paginis melius rectiusque enodandi copia dabitur.

Expressis verbis binorum hominum mentio fit, nimirum Ἀντωνίου Γ. Παντέλογλου (de quo vide superius) atque huiusce filiae nomine Mariae, quae post acerbum morbum diem obiit, ut lapis docet.

Muro meridionali Ecclesiae a Sancta Cruce sive τοῦ Ἅγιου Σταυροῦ dictae inserta (vide Fig. 2) inscriptio quaedam nos certiores de nostrae inscriptionis auctore facit. Ille Antiquitatis exquisitus vestigator et Aesculapii inventor qui terrae motu anno 1933° habitō morte abreptus est, Ἰάκωβος Ζαρράφτης, in *Rebus suis Coicis*<sup>13</sup> maximum Coi magistrum Σταμάτιον K. Παντελίδην hanc inscriptionem composuisse tradit.



Fig. 2. Καραγιάννη 2015

Hoc pro certo cognito satis constat et valetudinarii inscriptionem (vide Fig. 2) et nostram ex eodem fonte fluxisse. Conferas, exempli gratia, hos versus: ὅσια πολλὰ ῥέξας καὶ πρὶν πόλῃ Κώων; ἐς μνάμαν θυγατρός; ἀργαλέη νούσῳ; ἐς μακάρων τάξαι ιδρυτάων ψυχάν; τοῦνεκεν ὑψιμέδοντα λίτεσθ'; ἀσβέστοι πόθοι παρήγορον τὸν λίπε πότμος. Item, quae communia inter hosce binos titulos, ut inferius demonstrabitur, communia sunt cum fonte ex quo sententias suas lapicida noster hausit.

Ceterum, ut ex imaginibus constat, non solum litteratura eadem est, verum etiam nonnumquam eadā scribendi ratione usus est, utputa iota subscriptum in Κώων et πόλῃ ex tribus syllabis constans, ut ex metrica re liquet.

## 2.1. Σταμάτιος K. Παντελίδης

Iam nostrae inscriptionis auctorem fuisse Stamatium K. Pantelidem (Graece Σταμάτιος K. Παντελίδης)<sup>14</sup> satis cognitum compertumque habemus. Postquam Smyrnae primas litteras apud nobilem Evangelicam Scholam<sup>15</sup> et Athenis apud Διδασκαλεῖον Αθηνῶν edidicerat, perpaucis itineribus per Europam factis anno 1866° eum Alexandriae (Aegypti) Graece docuisse constat. Post annum vero 1883<sup>um</sup>, litteras Coi cum doceret, operam ingentem studiis Coi insulae navavit et in lucem multa in commentariis periodicis cum Gallicis (*Bulletin de Correspondance Hellénique*) tum Graecis (*Πανδώρα*) dedit.

Is, ut superius diximus, operam arti epigraphicae eo consilio navavit ut facem regio- ni obscurae in studiis Antiquitatis adderet. Igitur inter alia de Nisyri fontibus sulphureis luculenter in symbola<sup>16</sup> anno 1891° in lucem edita atque de fonte Burina<sup>17</sup> anno 1861° disseruit. Sermo quem adhibuit longe abest a lingua Graeca quae nunc in usu est vel a

<sup>13</sup> Ζαρράφτης 1921, 63.

<sup>14</sup> Χατζηβασιλείου 1990, 391–392.

<sup>15</sup> Λιθοξόου-Σαλάτα 1959.

<sup>16</sup> Παντελίδης 1891, 488–490.

<sup>17</sup> Παντελίδης 1861, 179–185.

lingua sermonem antiquum affectanti sed potius eam Graecam puriorem (sive καθαρεύουσαν μικτήν vel ἀπλῆν saeculi XX) mitem dices.<sup>18</sup> Quo melius differentia intellegatur, legamus ipsum auctorem de itinere verno quodam narranti:<sup>19</sup>

Μηνὶ Απριλίῳ τοῦ 1889 ἔαρινὴν ὄδοιπορίαν εἰς τὰ αὐλια καὶ τὸν ἀμπελῶνας τῆς στενῆς καὶ μακρᾶς νήσου Κῷ ποιούμενος, καὶ τὴν αὐτὴν ὄδὸν πορευόμενος, ἦν ποτὲ ὁ βουκολικὸς ποιητὴς Θεόκριτος [...]

Praecipua differentia inter sermonem hodiernum puriorem sive καθαρεύουσαν et linguam sermonem antiquum imitantem in eo stat, quod haec abunde sciteque particulis et verbo εἰμί secundum regulam antiquam ad amussim utitur. Legamus ergo paulo inferius:

Καὶ εἶνε<sup>20</sup> μὲν ἀληθὲς ὅτι κατὰ τὸν ἀρχαίους σχολιαστὰς τοῦ Θεοκρίτου ὁ Ἄλεις ἦτο<sup>21</sup> τόπος ἐν Κῷ [...]

Homini Graeco vel semierudito sane facile talia scribere potis erat, difficilius autem erat sermonem antiquum affectantem adhibere nisi summopere eruditio. Hoc patebit, cum primum talis homo haud satis necessaria eruditione comparata sermone antiquo uti conetur, ut paulo inferius plane constabit.

### 3. Commentatio de epigrammate

Dedicatio quae hoc titulo continetur ex re dedicata (l. 1), homine cui dedicatur (l. 4), homine qui dedicat (ll. 2–3) et prece (ll. 7–8) in fine pro anima illius cui dedicatur constat.

Hoc epigramma in toto intuentibus non abs re videtur inquirere quomodo compositum sit, nam potius quam opus ‘simplex dumtaxat et unum’ cento ex multis partibus conflatus videtur.

Primum omnium iunctura τόνδε δόμον Μουσάων ἀγλαότευκτον nemo auctor neque antiquus neque serae Graecitatis vel vero etiam Byzantinae aetatis, quoad scimus, usus est. Attamen, similes iuncturae et Lemni<sup>22</sup> et Lesbi<sup>23</sup> eadem fere aetate (annis 1860is) in ludorum litterariorum aditibus inveniuntur.

Dein, adiectivum ἀγλαότευκτος (videlicet ex ἀγλαός et τεύχω) admodum tam raro adhibetur, ut tantummodo bis invenerimus.<sup>24</sup> Attamen, Constantinopoli ecclesia anno 1858<sup>o</sup> prope vicum Ταταῦλα (Turcice Kurtuluş) aedificata exstat, ubi baptisterium quoddam locos similes asservat.<sup>25</sup>

Tandem, ubi ad illud Homerum redolens ἀσβέστοιο πόθοιο παρήγορον, τὸν λίπε πότμος pervenimus, nullum dubium iam exstat quod epigramma nostrum nihil nisi cento, tametsi laudandus, sit. Auctor enim vero formis, formulis vocabulisque nesus Homerum nobis facile praeponit, quamquam nusquam apud Homerum haec omnia

<sup>18</sup> Τζάρτζανος 1930.

<sup>19</sup> Παντελίδης 1890.

<sup>20</sup> Gr. ant.: ἐστίν.

<sup>21</sup> Gr. ant.: ἦν.

<sup>22</sup> Οἶκος Μουσῶν — Κλέος Βαριτῶν (Βάρος Λήμνου 1869).

<sup>23</sup> Οἶκος Μουσῶν | ἐκ βάθρων ἥγειραν | οἱ φιλόμουσοι Πλούτης Δρακούλης καὶ Ἰ. Χατζηλουκᾶς ΑΩΞ' ΕΜ ΜΗΝΙ ΜΑΡΤΙΩ (Πτεροῦντα/Φτεροῦντα Λέσβου 1860).

<sup>24</sup> *Orac. Sib.* XIV 130, *Prod. Ged.* VI 115.

<sup>25</sup> Χριστόδουλος 1913, 107: πηγὴ δ' ἀγλαότευκτος ἔνερθεν.

invenies. Hoc filo freti tandem aliquando perveniemus ad fontem illum ex quo Παντελίδης verba hausit. Primum omnium, adiectivum ἀσβεστος apud concreta quae dicuntur substantiva nomina ponitur. Decursu autem temporis (praesertim post Theodoreum Cyrum et Divum Iohannem Chrysostomum) apud abstracta quae dicuntur ponitur. Hac enim ex parte illam iuncturam in epigrammate merito pseudohomerismus dici licet. Item de τὸν λίπε πότμος iudicandum est. Vnde hae formulae sumptae sint paucis quae sequuntur lineis patefiet.

### 3.1. Φίλιππος Ἰωάννου (1796–1880)

Φίλιππος Ἰωάννου Constantinopoli eruditus, gradum doctoris Monachi in Bavaria adeptus in Atheniensium Vniversitate professor fuit. Summa eruditione de litteris linguisque classicis comparata,<sup>26</sup> anno 1837<sup>o</sup> in Graeciam reversus variis muneribus academicis functus est. Anno vero 1865<sup>o</sup> edita sunt eius quaedam *Φιλολογικὰ Πάρεργα*, ubi in lucem et carmina et opuscula, quibus versiones ex Latino sermone accedunt, omnia sermone Graeco non illo puriore cuius mentionem superius feceramus, sed sermone antiquam linguam accuratissime imitanti. Inter haec omnia exstant duo epigrammata, quae procul dubio illum Παντελίδην (quem inscriptionis nostrae auctorem dicimus affirmamusque) non fugerunt:

Κάλλιμον Ἀδριανῆς ἀπόθριστον σοῖς ἐνὶ κόλποις  
ἄνθος δεξαμένη, ἄνθεα, γαῖα, φύοις,  
ἀσβέστοιο πόθοιο παρήγορα, τὸν λίπε πότμος  
πατρὶ μὲν ἡς κούρης, ἀνέρι δ' ἡς ἀλόχου.<sup>27</sup>

Patet enim tertium versum fere eundem esse atque quintum versum epigrammatis quod Παντελίδη tribuimus. Versus contra Φίλιππου Ἰωάννου nullum mendum habent. Versus tamen, ut inferius monstrabitur, quos Παντελίδης panxerat, mendis scatent.

Etenim, in illo παρήγορον, τὸν λίπε πότμος Παντελίδης genus neutrum numeri pluralis mutavit in masculinum sive neutrum numeri singularis, quae certe sunt in proximis verbis, sed continuitate syntactica caret. Φίλιππου Ἰωάννου autem illud παρήγορα pertinet ad ἄνθεα, quod in versu priore est.

Item Φίλιππος Ἰωάννου anno 1864<sup>o</sup> inscribendum epigramma aliud in altari ecclesiae Sanctae Mariae in Thessalorum oppido q. d. Kisós posito curavit. Quod ipse quidem edidit in suis *Parergis*. Versus duos in fine<sup>28</sup> verisimiliter etiam Παντελίδης in suo epigrammate ad finem adhibuit, nam aliter admodum difficile sensum illorum versuum deprehenderes. Textum Φίλιππου Ἰωάννου facile lectu existimamus: “sibi ponat” (τάξαι οι) “animam mariti mortui” (ψυχὴν δὲ θανόντος ἀκοίτου) “in summum beatorum chororum” (ἐξ μακάρων ὑψι χοροστασίην). Attamen, Παντελίδου versum legenti facile intellegitur de qua re agatur, id est, de anima filiae mortuae quae inter beatos annumeretur, quoniam res eam inscriptionem legentibus satis nota erat. Hac de causa grammaticae regulas pedisseque adhibere necesse nostro lapicidae non erat, cum intelligenti pauca sufficient: multa videlicet subintellegenda vel subaudienda sunt quae non manifesto apparent.

<sup>26</sup> Ἐν Ἀθήναις Ἀρχαιολογικὴ Ἐταιρεία 1937, 18.

<sup>27</sup> Ἰωάννου 1865, 407.

<sup>28</sup> Ἰωάννου 1865, 595: ψυχὴν δὲ θανόντος ἀκοίτου | τάξαι οι ἐξ μακάρων ὑψι χοροστασίην.

### 3.2. Metrum

Quod ad res metricas attinet, maiora molimur, propterea quod auctor disticha scribere frustra conatur, cum et in metricam quae dicitur accentuali et in sermonem Graecum qui nunc est plurima vitia irrepant.

Nostra quidem sententia schema metricum quod Παντελίδου versibus subest sic se habet:<sup>29</sup>



Primus tantum versus paecepta antiqua recte sequitur. Reliqua omnia a paeceptis antiquis variis de causis abhorrent. Duo re metrica accentuali adhibita sat bene explanantur.

Tertium versum tam secundum accentualem quam quantitativam metricam interpretari necesse est. Sic illud πολλὰ ρέξας (quod valet idem atque πολλὰ φρέξας) facile ut duo spondei intellegi possunt. Reliquus autem hexameter nonnisi ratione accentuum adhibita satis superque explanatur. Quod ad vocabulum πόληι attinet, sane ex dactylo accentuali constat.

Primus quarti versus hemistichius nullam difficultatem metricam praebet. Insuper, et secundum metricam quantitativam explanari licet. Secundus vero hemistichius vel difficilis intellectu vel insanabilis esse videtur. Quantitativa metrica freti includere in altero pentametri hemistichio nequimus (v-vv-). Accentuali autem metrica usi verisimiliter proponere possumus hocce schema metricum: -|-|-. Attamen mens auctoris nobis in versu pangendo non liquet.

Versus quintus regulas sequi videtur, etsi regula in παρήγορον, τὸν λίπε (v|-v-|-) non observata facile intellegitur, si versum de alieno fonte mutuatum mutatumque esse memineris.

Postremum distichum explanatu difficultimum esse videtur, nam primi versus clausula cum hexametri clausula nequaquam convenit sive accentuali sive quantitativa. Pentameter vero sive secundum accentuum rationem sive quantitative, praeter illud ἰδρυτάων (-v-), facile probatur. Difficultates quae in hoc pentametro explanando oriuntur nempe scribendi rationi tribui debent.

## 4. Summa

Hac enimvero tempestate Graeci cum antiquo tum recentiore animi cultu nixi humanitatem excolere queunt retro porroque spectantes. Nostri vero auctoris aetate lis vehementer inter temporis acti laudatores<sup>30</sup> et novarum rerum studiosos exorta sub iudice

<sup>29</sup> Nota bene: longum: -; breve: v; dubium: ?.

<sup>30</sup> Παντελίδης 2011, 197–221.

erat.<sup>31</sup> Quibus simul tertia quaedam factio accesserat, quae quidem tandem aliquando vivit valet viresque acquirit eundo.<sup>32</sup> Noster autem auctor in carminibus saltem pangendis<sup>33</sup> acerrime pro temporis acti laudatorum partibus senserat, ut constat ex hacce symbola.

Superioribus paginis inscriptionem recentioris aetatis sermone archaistico exaratam enodavimus. Collatis binis inscriptionibus ibidem asservatis, auctorem eiusque fontem invenire potuimus et perpensis cum metrica tum lingua propositum huiusce operis non fuisse certe lectionem, at potius Antiquitatis evocationem asseveramus.

Nostra quidem ut fert sententia, quamvis fere nullam artem litterariam in epigrammate deprehendas, tamen est laudanda auctoris voluntas, quippe qui artis epigraphicae vi fretus puellae nimis mature vita functae memoriam ab anno 1869° usque ad hodiernum diem perpetuare valuit.

## Opera citata

- García Jurado F. Latín y léxico de la Ilustración hispana: la obra epigráfica de Tomás de Iriarte. *BRAE* 2013, 93 (308), 357–392.
- García Jurado F. El latín y su utilidad pública en la segunda mitad del siglo XVIII: las inscripciones: <https://clasicos.hypotheses.org/658> (accessed: 08.08.2022).
- Ἐν Ἀθήναις Ἀρχαιολογικὴ Ἐταιρεία. (eds) Λεύκωμα τῆς ἐκαπονταετηρίδος τῆς ἐν Ἀθήναις Ἀρχαιολογικῆς Ἐταιρείας 1837–1937. Ἀθήνα, 1937.
- Hallop Kl., Rigsby K., Bosnakis D. (eds) *Inscriptiones Graecae XII 4: Inscriptiones Coi, Calymnae, insularum Milesiarum. Pars I. Inscriptionum Coi insulae: Decreta, epistulae, edicta, tituli sacri*, Berolini, de Gruyter, 2010.
- Hallop Kl., Bosnakis D. (eds) *Inscriptiones Graecae XII 4: Inscriptiones Coi, Calymnae, insularum Milesiarum. Pars II. Inscriptiones Coi insulae: Catalogi, dedicationes, tituli honorarii, termini*. Berolini, de Gruyter, 2012.
- Hallop Kl., Bosnakis D. (eds) *Inscriptiones Graecae XII 4: Inscriptiones Coi, Calymnae, insularum Milesiarum. Pars III. Inscriptiones Coi insulae: tituli sepulcrales urbani*. Berolini, de Gruyter, 2016.
- Hallop Kl., Bosnakis D. (eds) *Inscriptiones Graecae XII 4: Inscriptiones Coi, Calymnae, insularum Milesiarum. Pars IV. Inscriptiones Coi insulae: tituli sepulcrales demorum, tituli varii incerti alieni. Inscriptiones Insularum Milesiarum*. Berolini, de Gruyter, 2018.
- Horrocks G. *Greek: a history of the language and its speakers*. Oxford, Wiley-Blackwell, 2010.
- Ιωάννου Φ. Φιλολογικὰ Πάρεργα. Ἀθήνα, Τύποις Χ. Νικολαΐδου Φιλαδελφέως, 1865.
- Καραγιάννη Σ. Το εκκλησάκι του σταυρού στην πόλη της Κω: [https://photographybysophiakaragianni.blogspot.de/2015/09/blog-post\\_13.html](https://photographybysophiakaragianni.blogspot.de/2015/09/blog-post_13.html) (accessed: 08.08.2022).
- Klaffenbach G. *Griechische Epigraphik*. Göttingen, Vandenhoeck, 1957.
- Λιθοξόου-Σαλάτα Ζ. Ἔναγγελικὴ Σχολὴ Σμύρνης. Ἀθήνα, αὐτοέκδοση, 1959.
- Mackridge P. *Language and National Identity in Greece 1766–1976*. Oxford, Oxford University Press, 2009.
- Παντελίδης Ν. Αρχαιομός-Νεοαρχαιομός, apud: Γ. Μπαμπινιώτης (ed.) *Γλωσσικό Ζήτημα: Σύγχρονες Προσεγγίσεις*. Αθήνα, Ιδρυμα της Βουλής των Ελλήνων, 2011, 197–221.
- Παντελίδης Στ. Περὶ τῆς ἐν τῇ νήσῳ Κῷ Βουρίνης πηγῆς. *Πανδώρα* 272, 1861, 179–185.
- Παντελίδης Στ. Θεοκρίτου ἔαρινή ὁδοιπορία βεβαιουμένη ἐξ ἀνεκδότων ἐπιγραφῶν. *BCH* 14, 1890, 292–300.
- Παντελίδης Στ. Περὶ τῶν ἀρχαίων θειούχων θερμῶν ἐν Νισύρῳ τοῦ ἀρχιπελάγους. *BCH* 15, 1891, 488–490.
- Παράσχη Τ. *Σεισμοί στον εθνικό και επαρχιακό τύπο*. Πάτρα, Πανεπιστήμιον Πατρών, 2007.
- Rhob A. (ed.) *Inscriptions in Byzantium and beyond: methods — projects — case studies*. Wien, Österreichische Akademie der Wissenschaften, 2015.
- Sherwin-White S. M. *Ancient Cos: an historical study from the Dorian settlement to the imperial period*. Göttingen, Vandenhoeck, 1978.

<sup>31</sup> Mackridge 2009, 80–81.

<sup>32</sup> Horrocks 2010, 462–466.

<sup>33</sup> Non ita in oratione numeris soluta, ubi nimirum sermone quantumvis remissiore, archaistico tamē, utebatur.

Τζάρτζανος Ἀ. Γραμματικὴ τῆς Νέας Ἑλληνικῆς Γλώσσης (Ἀπλῆς Καθαρευούσης). Ἀθῆνα, Δημητράκου, 1930.

Χατζηβασιλείου Β. Ἰστορία τῆς νήσου Κω. Αρχαία-Μεσαιωνική-Νεότερη. Κῶς, Δῆμος τῆς Κῶ, 1990.

Χριστόδουλος Π. Μ. Τὰ Ταταύλα ἢτοι ἴστορία τῶν Ταταύλων. Κωνσταντινούπολις, Τύποις Κορομηλᾶ, 1913.

Ζαρράφτης Ἰ. Ἐ. ΚΩΙΑ, ἢτοι 7 τεύχη περιγράφοντα τὰ τῆς Κῶ μετὰ τοῦ χάρτου αὐτῆς. Κῶς, Τύποις Ν. Ἰ. Νικολαΐδου, 1921.

## Об одной надписи нового времени, сохранившейся в Коце

Гонсало Херес Санчес

Мадридский университет Комплутенсе,  
Испания, 28040, Мадрид, пл. Менендеса Пелайо; gonzalojerez@ucm.e

Для цитирования: Jerez Sanchez G. De recentioris aetatis epigrammate Coi asservato. *Philologia Classica* 2022, 17 (2), 291–299. <https://doi.org/10.21638/spbu20.2022.209>

В статье рассматривается неопубликованная надпись, хранящаяся в замке Неранция на острове Кос (Греция). Она состоит из четырех элегических двустиший, которые косский исследователь Стаматиос К. Панделис составил незадолго до 1879 года. Предполагается, что она находилась на фасаде школы, основанной в тот год, который указан в надписи. По-видимому, после землетрясения, разрушившего Кос в 1933 году, она была перемещена в хранилище замка Неранция на севере Кося вместе со многими другими надписями. С одной стороны, она дает возможность узнать, как работали граверы, в какой степени греки знали свой собственный язык в его древней форме и как они поступали, когда приходилось использовать (тогда и сейчас) необычные формы языка. С другой стороны, надпись имеет отношение к культурной истории Греции в последние годы Османского правления и в годы после него, поскольку Кос был частью Османской империи до 1912 года, после чего перешел под власть Италии до 1947 года, когда остров был включен в состав Греческой Республики. Поэтому целью работы является выяснение исторических и реальных обстоятельств появления надписи, а также анализ композиционного процесса этой посвятительной эпиграммы с метрической точки зрения (она содержит много отклонений от классических правил), стиля и классической традиции. Эта надпись ранее не изучалась из-за своих специфических особенностей. Действительно, это эпиграмма, написанная в 19 веке, но на архаизирующем греческом языке (т. е. с небезупречным соблюдением правил классической грамматики), поэтому она не изучалась ни неоэллинистами, ввиду древнего характера ее языка, ни классиками, так как была составлена в новое время.

**Ключевые слова:** греческая эпиграфика, современная греческая история, история греческого языка, греческий язык.

Received: 10.08.2022

Accepted: 31.10.2022